HALDIUS

Tome N°50

INDEX
SCHOLARVM AESTIVARVM
PVBLICE ET PRIVATIM
IN
VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

INDE A DIE XV M. APRILIS A. MDCCCL

HABENDARVM

AVCTORITATE

PRORECTORIS MAGNIFICI

ANDR. LVDOVICI IACOBI MICHELSEN

IVRIS VTRIVSQVE ET PHILOS. DOCTORIS PROFESSORIS P. O.

ET

SENATVS ACADEMICI

EDITVS.

De Pindaro

PRAEFATVS EST

FERDINANDVS HANDIVS.

Com. critica in Pindari carmina

I E N A E

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

50

In his prooemiis vobis maxime, Cives cariſſimi, deſtinatis argumenta videntur tractanda eſſe, quae ad veſtra ſtudia ea ratione pertinent, ut vel praeceptis exponatur, qua recta via in litterarum campo ad condendam doctrinam progrediamur, vel exemplis demonſtretur, qua cautione errores doctiſſimo cuique periculoſos vitare deceat. Haec utrum in rebus grammaticis, an in aliis declarentur, parum aut nihil intereſt. Communia enim habent omnes litterae principia, atque una eſt prudentia, qua res ſive actae ſive agendae iuſte et ſobrie iudicentur, una via, quae ad veritatem nos perducat. Quare etiam ii, qui in novarum rerum ſtudiis verſantur, ſi ſapiunt, non dubitabunt, quin in iis, quae de antiquitate diſputantur, multa inveniant, quae in ſuum uſum conferant, neque ars, cui grammatici operam impendunt, critica ad ſola vocabula attinet, ſed qua argumentatione vera a falſis diſcernantur docet.

Ne quis vero miretur, me nunc de Pindari carminibus eſſe dicturum, quae a viris in hac diſciplina celebratiſſimis ad integram formam redacta et tam accurate explicata eſſe videantur, ut vix quidquam novo ſtudio relictum ſit, id unum praemoneo, Pindarum inter eos referri debere, quorum in ſcriptis quodcumque aevum graviſſima cogitandi et diſſerendi argumenta inventurum ſit. Tanta eſt ingeniorum divinorum vis,

tamque multae sunt difficultates, quibus effatorum verborum interpres vel acutissimus afficiatur. Etiamsi igitur toto animo veneramur merita illorum virorum, quorum opera nunc Pindarum a permultis maculis liberatum et illustratum habemus, tamen negare non possumus, in carminum eximia gravitate et artificiosa compositione non pauca reperiri, quae novam perscrutandi diligentiam provocent, nec quisquam audebit profiteri, se omnia recte intellexisse. Duabus autem in rebus interpretes saepenumero errasse videntur. Alii enim in verbis poetae sublimiorem et reconditum sensum quaerere maluerunt, quam in simpliciore sententia acquiescere, id maxime tenentes, omnia, quae Pindarus cecinerit, esse excelsiora et a vulgari cogitatione aliena ideoque obscura. Vbique ergo deprehendisse sibi visi sunt dictiones et verborum formas a communi usu recedentes, ipsique poetae tribuerunt tam multa idiomata, ut eum, in commutandis cogitandi et loquendi modis et in ratione, qua reliquorum poetarum usus regitur, spernenda audacissimum, saepe licentia mirabiliter abusum esse putemus. At audacia, qua poeta ad sublimiores mentis regiones evolat, non destituta est rationis regimine, nihilque agit sine consilio, sed in iis, quae nobis insolentiora et obscura videntur, vel ad antiquos mythos, vel ad res in tempore actas, vel ad vulgarem veterum sapientiam spectantia, non tam verborum, quam rerum cognitio nobis molestiam affert, siquidem ea, quae antiquis hominibus in promptu erant, nunc doctrinae ope eruenda, verborum ambiguitate abscondi existimamus.

Sed ex altera parte eos non minus a iusta et recta interpretatione aberrare videmus, qui, libertatem poetis concessam non agnoscentes, Pindari carmina tamquam librum prosaici scriptoris tractant, et si optio data est, sententiam vel dictionem praeferunt, quae nec poesin spirat, et logicis praeceptis magis respondet quam excelsi animi fervori.

Vtramque hanc viam fallacem esse, non est, quod exemplis declarem, nec tantum quaestiones difficiliores de consilio in componendis carminibus adhibito, sed etiam singulorum verborum explicatio nobis occasionem offerunt sobrie et apte iudicandi, ne ea, quae planissima sunt, obscuritatis quadam specie decorare, neu quae ex liberiore animi motu profecta sunt, ad ingratum orationis languorem deducere videamur.

In primo Olympiorum carmine versu 11 leguntur haec:

μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν,
ὅθεν ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφιβάλλεται
σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν
Κρόνου παῖδα.

quae verba nullam corruptionis suspicionem admittunt, atque sententiam exhibent admodum perspicuam et bonam. Attamen permagnam operam interpretes consumserunt in explicando uno vocabulo *ἀμφιβάλλεσθαι.* Heynius ipse perspexit, qua falsa opinione haec verba cum iis, quae sequuntur, coniungenda et *ἀμφιβάλλεται* pro *προσέρχεται* accipiendum esse censuisset. Qui autem Astium sequuti carmina cum sagittis comparari et e mentibus poetarum emitti existimarunt, non satis reputaverunt, in hac metaphora id desiderari, quod ipsam constitueret, sagittarum nomen. Idem dicendum est de iis, qui carmina sententiis sapientium coronata intelligebant. Miramur vero quam audacter Thierschius hymnos finxerit per sapientium curam armis, quae essent modi musici, indutos. Is enim, qui apud Homerum Od. 22, 103 de armis loquitur, addere poterat *αὐτὸς ἀμφιβολεῦμαι ἰών*: sed inde non potest colligi, *ἀμφιβάλλεσθαι* significare *armis indui*, nec patet, quae sint carmina armata. Boeckhius interpretatur ita: hymnus *insinuatur doctorum mentibus*, et ut notionem insinuandi tribuat verbo *ἀμφιβάλλεσθαι*, dicit esse *obiici*, *offerri*, *affundi*, *insinuari*, idque

comprobari posse putat verbis Homeri ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει. Equorum strepitus aures tangit circumsonans, at hymnus non obiicitur sive affunditur mentibus, sed exit ex iis. Nam σοφοὶ ex Boeckhii sententia sunt *cum poeta artifices chorum constituentes*. Quid Odofredus Mullerus sibi voluerit verbis *der von Olympus kommende Hymnus umfaſst den Sinn der ihn freundlichst bewillkommenden Sänger*, equidem non assequor. Hermannus arbitrabatur ἀμφιβάλλεσθαι dictum esse pro ἐμβάλλεσθαι: quod quo usu et qua ratione fieret, non declaravit. Dissenius, vocabulo, de quo loquimur, significationem complectendi vel comprehendendi assignans, hanc sententiam proposuit: „unde nunc praeclarus hymnus prehenditur doctorum mentibus.“ Quis vero ita umquam loquutus est: hymnus circumiicitur mentibus doctorum? Sed videamus ipsam rem.

Βάλλειν proprie dicitur de carminibus, quae id, quod celebrant, ut omnibus innotescat, emittunt vel pronuntiant, βάλλεσθαι de carminibus, quae ipsa ad celebrandas res emittuntur. Hoc vero recte potest exprimi verbis *iactare* et *iactari*, veluti Virgilius dixit Aen. 2, 768 *voces iactare*. Neque tamen supposita est imago sagittarum, quam expressam videmus apud Pindarum Ol. 2, 98 (161), sed potest, ut in aliis verbis, addi ἀμφί, ut vox circum diffusa significetur. Hunc loquendi usum confirmant haec exempla. Pindari Nem. 3, 62 (115) τεὸν γὰρ αἷμα, σέο δ' ἀγών, τὸν ὕμνος ἔβαλεν ὀπὶ νέων ἐπιχώριον χάρμα κελαδέων. ubi si de sagittis sumpta esset metaphora, id aliquo modo indicandum erat. Boeckhius cum Heynio reddidit: *certamen quod hymnus attigit*. Est vero certamen, quod hymnus in publicum prodit, pronuntiat, quod est, celebrat. Hymn. Homer. in Apoll. 20 πάντη γάρ τοι, Φοῖβε, νόμος βεβλήατ' ἀοιδῆς. Critici, his verbis offensi, mutarunt ea non uno modo. Ceteris praestare videbatur Hermanni coniectura, qua scribendum esset νόμος μεμέληται ἀοιδῆς. Quod

Schneidevinus nuperrime coniecit νομὸς μεμέληται ἀοιδῆς et ita reddidit *liegt dir doch überall der Weideplatz den Liedern am Herzen*, id vereor, ut cum graece et germanice loquendi uſu conveniat. At nulla emendatione opus eſt, niſi quod in ſcriptura codicum βεβλήαται ᾠδῆς reſtituas antiquam formam ἀοιδῆς. Dicit enim poeta: *ubique tibi, Phoebe, carmina modulata divulgantur*, quod eſt, laudes tuae carminibus divulgantur. Neque aliter Pindari verba accepit ſcholiaſtes, qui interpretatur ἀνακρούεται.

Aurea ſunt verba carminis ſecundi v. 62 (102) de divitiis cum virtute coniunctis:

εἰ δέ μιν ἔχων τις, οἶδεν τὸ μέλλον,
ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες
ποινὰς ἔτισαν, τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ
ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις ἐχθρᾷ
λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ.

in quibus et grammatica ratio tam perverſa et ſententia tam implicata videbatur eſſe, ut interpretes vel de integritate verborum dubitarent, vel poetam a plana via deceſſiſſe putarent. Antiqui libri praebent ἔχων, pro quo interpolatores ſubſtituerunt ἔχει.

Hermannus id negans „non, inquit, verbi locum tenet participium, ſed fervor poetam ad anacoluthon abripuit. Volebat dicere: ſi quis opes virtute temperatas poſſidens, ſortem intuetur eorum, qui propter bene facta diis cari ſunt, is ita utitur divitiis, ut hic Thero. Sed delatus ad deſcriptionem illius beatorum ſortis, pro apodoſi, quae ſequi debebat, aliam liberius conformatam ſubſtituit v. 160 ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον etc.“ At tali loquendi audacia vix quisquam utitur, qui ut ſententia ſua intelligatur in curis habet. Pindarus quidem animi fervore non ita corripie-

batur, ut fobriae mentis limites tranfiliret: nec quidquam facilius videtur, quam cum Matthiae in Grammat. p. 1094 dicere, omiffam effe apodofin. Nullum enim anacoluthon admitti poteft fine iufta cauffa, quae hic omnino defideratur. Quare Boeckhius haec verba, de quibus loquimur, cum iis, quae praecedunt coniungit, et *εἰ δὲ* mutat in *εἴ γε*, unde haec fententia prodit: divitias virtuti iunctas optimam rem homini effe, fiquidem qui eas teneat, futurorum non fit immemor, quae poft mortem homines maneant. Quis vero non fentit languorem orationis interiecto vocabulo *ἔχων*? quis approbabit iftam fententiae formam per *εἴ γε* expreffam? Omnia in hoc loco fana et integra funt, fed duae res animadvertendae. Participium non poteft pro verbo recto poni in enuntiationis parte primaria, poteft autem in fecundaria, praefertim in conditionali fententia per *εἰ* expreffa, nec tantum e poetarum, fed etiam e profaicorum fcriptorum ufu. Plato Phaedr. 94 (260. d) *εἴ τις ἐμῇ ξυμβουλῇ κτησάμενος ἐκεῖνο, οὕτως ἐμὲ λαμβάνειν.* Demofthenes Olynth. II. 18 (p. 23) *εἰ δέ τις σώφρων ἢ δίκαιος ἄλλως τὴν καθ' ἡμέραν ἀκρασίαν τοῦ βίου καὶ μέθην καὶ κορδακισμοὺς οὐ δυνάμενος φέρειν.* Eurip. Elect. 533 *εἰ καὶ γῆν κασίγνητος μολών*: ubi critici a mutatione abftinere debebant. Hoc autem fit ea ratione, qua *ὅστις* et *εἴ τις* alternant.

Sed plurimi interpretes eo maxime offenfi funt, quod Pindarus dixit eum, qui opibus cum virtute coniunctis gaudeat, cognitas habere maleficorum poenas, quum memoranda potius effent virtutis praemia. Diffenius multa difputat, ut demonftret Pindari fententiam effe hanc: „fi quis autem haec habet, novit, certo fperare poteft poft mortem praeclaram fibi fortem paratam.“, atque hanc fententiam ita formari, ut *ὅτι*, priori enuntiationis parti praefixum, etiam attineat ad alteram, quae ob magnum periodi ambitum per fe conftet: *ἴσον δὲ* etc. At ne hac quidem ra-

tione perſpicitur, cur in hac ſententia poeta maleficorum mentionem fecerit, et primo quidem loco. Si igitur prudenter cavemus, ne ad nimiam ſubtilitatem aberremus, neve in poetam audaciam transferamus temerariam, facile inveniemus, qua recta ratione ille uſus fuerit. Etenim apud eum ex antiquorum hominum opinione notiones opulentiae et virtutis et bene actae vitae cognatae ſunt et in unum quaſi coeunt. Eum enim, qui opibus gaudet, nihil impedit, quo minus recte iuſteque agat. Quare poeta loquutus eſt ita, uti aliter loqui non poſſet. Sententia haec eſt: is, qui opibus potens eſt, bene cognitum habet, quid futurum ſit, ſibique recte iuſteque agendum eſſe, memor iſtius iudicii, quo poſt mortem malefici poenas rependunt. Neque vero ſtatim poeta deſcribit beatam bonorum vitam poſt mortem, ſed antea declarat opulentos ideoque virtute praeditos curare, ne poenas maleficis imminentes in ſe convertant.

Tranſeo ad tertium locum, in quo longum eſt enarrare, quam multiplicem ſubtilitatem viri docti adhibuerint, ut ſententiam poetae comprehenderent. In primo carmine Pindarus ad celebrandum Pelopem praeter alia fabulam, qua Tantalus dicebatur corpus filii coctum in epulis appoſuiſſe diis, eo conſilio narrat, ut meliorem nec diis indignam explicationem antiqui mythi proponat. Dicit igitur v. 46 (72):

ὡς δ' ἄφαντος ἔπελες, οὐδὲ ματρὶ πολλὰ μαιόμενοι φῶτες ἄγαγον,
ἔννεπε κρυφᾶ τις αὐτίκα φθονερῶν γειτόνων,
ὕδατος ὅτι τε πυρὶ ζέοισαν ἀμφ' ἀκμὰν
μαχαίρᾳ τάμον κατὰ μέλη,
τραπέζαισί τ' ἀμφὶ δεύτατα κρεῶν
σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

Eſt hic locus ex iis, in quibus ante omnia quaeramus, quid poeta

dicere potuerit, quidve non potuerit. Praetermitto medelam, quam Boeckhius e duobus codicibus attulisse sibi visus erat scribens δεύματα, quod etiamsi non ita absonum fuit, ut ab Ahlwardto inurbano risu exciperetur, tamen nimium adeo redolet culinam, nec eo vindicatur, quod Pindarus, ut in aliis locis, ita hic quoque iocatus esset. Res enim, de qua ille loquitur, tristissima erat. Alii interpretes, Athenaeum sequuti, intellexerunt secundas epulas, quae non δεύταται, sed δεύτεραι appellabantur. Nec caussa apparet, cur secundis epulis appositum fuerit laceratum Pelopis corpus: quae scilicet indicanda erat. Alii existimabant significari ultimam epularum partem, non ad id respicientes, quod antiqui moris erat. Nam in extremis conviviis non carnes apponi solebant, sed pemmata et bellaria et mala. Hermanni sententiae, qua carnes dicantur, ne intelligantur ossa, extremae autem propterea, quod solus humerus consumptus et postea ebore suppletus fuerit, rationes eae refragantur, quae ad veram explicationem perducunt. Nam in fabula istius vicini malevoli nec humeri nec reliquarum partium mentio facta est, nec fieri poterat: neque humerus non aliis verbis additis simpliciter vocari potest extrema carnium pars, nec unum humerum putabimus inter omnes convivas (ἀμφὶ) distributum dici. Quaenam igitur succurrit vera ratio? Vt statuamus id, quod a poeta narraretur necesse erat. Pelops iuvenis in coelum sublatus evanuerat et ne vestigium quidem reliquerat: quo facto unus e vicinis impiis exstitit, qui diceret, corpus Pelopis coctum et a diis convivantibus esse devoratum, nec ullas inveniri reliquias. Id comminiscebatur illico (αὐτίκα), nec humeri mentionem facere poterat, de quo alii postea fabulam confecerunt. Atque illud refert poeta dicens carnem ad ultima frusta esse comesam. Δεύτατα enim sunt ultima, extrema. Scholiastes maluit ineptam doctrinam numeralium exponere, quam explicationem

ab antiquis interpretibus acceptam ſobrie tractare, ſed ex ea ſervavit verba *εἰς μικρότατα*. Sunt vero *δεύτατα*, quibus deſumptis nihil reliquum eſt. *Ἀμφὶ* referunt alii ad *τραπέζαις*, quod per ſe ſtare poteſt, alii adverbium eſſe dicunt, ut ſignificet cibum circumcirca eſſe diſtributum. Nihil autem obſtat, quominus praepoſitionem cum proximo nomine coniungamus. *Ἀμφὶ* enim, quod alio uſu de tempore et numero non exacte definiendo dicitur, ab origine ſignificationem eam obtinet, qua totam rem comprehendi iubet. Olymp. 2, 33 (54) *τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον*, i. e. totum per tempus. 1, 97 (157) *ὁ νικῶν δὲ λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον ἔχει μελιτόεσσαν εὐδίαν*. Hymn. Homer. in Merc. 172 *ἀμφὶ δὲ τιμῆς κἀγὼ τῆς ὁσίης ἐπιβήσομαι, ἧςπερ Ἀπόλλων*, i. e. prorſus eiusdem honoris compos fiam. Hymn. in Cerer. 85 *ἀμφὶ δὲ τιμὴν ἔλλαχεν*. In utroque loco neſcio qua ratione Roſtius in Lexico ſcripſerit *ἀμφὶ* eſſe *δίχα, χωρὶς*, ſeorſim. Ceterum *διαδάσασθαι* recte cum genitivo *κρεῶν* componitur, veluti *μεταδιδόναι* et cum accuſativo et cum genitivo coniungitur. Pindari verba igitur ita ſunt reddenda: *dixit illico aliquis invidorum vicinorum, illos ad aquae igne ferventem aeſtum cultro membra diſſecuiſſe et in menſa tuas carnes totas* (ad ultima fruſta, *bis aufs letzte*) *diſtribuiſſe et comediſſe.*
